



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput X. Sitne scientia futurorum contingentium, de quibus pertractatum
est, appellanda juxta consuetudinem Scholasticorum Scientia Media?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

10.
Solutio 2.

mulatos; nisi postquam aliis cadentibus ipsi propria voluntate steterunt.

Gregorius vero ad inscrutabilia iudicia Dei refert, non quod angeli boni steterint, aut mali ceciderint, sed quod Deus noluerit istis ignoscere, atque ad resipiscendum gratiam largiri: quod cum esset omnipotens, poterat si voluisset, & quare noluerit latet in altitudine divitiarum scientiæ suæ. Habet similia S. P. Augustinus lib. xi. de Gen. ad lit. cap. 10. quæ perperam ad se trahunt Adversarii. Quid enim ad illorum causam accedet, si fateamur Deum potuisse angelos desertores convertere, & cur noluerit penes ipsum esse, ut scribunt Gregorius & Augustinus? Id nullus ratione præditus negat: cur autem uni, non alteri donetur perseverantia; pertinet ad inscrutabilia iudicia Dei in hoc tantum statu, in quo uni misericorditer confertur, alteri iuste denegatur, & quare huic conferatur, non illi, cum omnes in massa fuerint perditionis, causa nulla est, præter Dei beneplacitum. Hæc ad illum statum non pertinent, in quo perseverare aut non perseverare in libero erat arbitrio. Sed age, quandoquidem Magnum Gregorium laudavimus, audias illum hæc lib. v. Moral. cap. 28. scribentem: *Mire autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam sed mutabilem condidit, ut & qui permanere nollent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto ex arbitrio starent; & eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.* Quidnam pro sententia nostra desideras manifestius? Porro & nos fatemur merita bonorum

angelorum fuisse ex gratia; sed negamus fuisse ex gratia prædeterminante: unde quod ultimo loco opponebatur, urget Bajum, non Augustini discipulos.

Sunt quædam alia apud Hyacinthum Serry; sed ex dictis prorsus corruunt. Accusat nos antilæ, quod gratuita prædestinationis sumus propugnatores: sed angelos gratis prædestinatos quis huius nostræ sententiæ assertor putavit unquam? Ait providentiam certam esse infallibilitate mediorum: at quis ex nobis in hac providentia, quæ infirmos spectat, naturam quoque integram comprehendit? Inquit nos statuere scientiam Dei esse causam rerum omnium: verum quis nostrum de omni penitus scientia, atque de æquali in omni eventu causalitate id fateatur? Hæc, & similia eadem exsufflantur, qua proferuntur, facilitate. Istius generis sunt, quæ afferuntur ex historia Congr. de Auxiliis, in qua Molinianus Orator die 22. Novemb. 1605. curavit evertere necessitatem gratiæ efficacis ex lib. de Corrept. & Grat. S. Augustini; nam quod Jesuita affirmaverit auxilium prædeterminans non esse necessarium ex dependentia causæ secundæ à prima, verum est: quod ex eo principio asseruerit non opus esse in hoc statu auxilio prædeterminante, falsum est: cum ex eodem Augustini libro demonstretur huius auxilii necessitas ex capite infirmitatis. Quæ vero obijciunt alii Thomistæ ex ratione primi moventis, & indifferentiæ creaturarum, fuerunt omnia superius refutata: neque opus est recudantur hoc capite, in quo nimis forte ob Adversariorum meorum dignitatem lectores defatigavi.

CAPUT X.

Sitne scientia futurorum contingentium, de quibus pertractatum est, appellanda juxta consuetudinem Scholasticorum Scientia Media?

SUMMARIUM.

1. De scientia simplicis intelligentiæ, & visionis.
2. Aliorum Doctorum opiniones.
3. Si accipias scientiam mediam pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, sive supernaturalis in statu naturæ innocentis, nec non operum malorum ejusdem status absque ullo prædeterminante decreto, admittitur vocabulum scientiæ mediæ.

1.
De scientia
simplicis in-
telligentiæ,
& visionis.

PRIMO hujus libri cap. diximus scientiam Dei comparate ad possibilia appellari in Scholis scientiam simplicis

4. Præscientia peccatorum in statu naturæ ipsæ spectat ad scientiam visionis, non verò ad scientiam mediam.

5. Et seqq. Scientia media futurorum conditionum, quæ neque sit scientia simplicis intelligentiæ, neque visionis, nec in præsentis statu, nec in statu innocentie habet locum.

intelligentiæ, seu, ut vocant aliqui, naturalem: connotative vero ad res in aliqua temporis differentia existentes, scientiam.

scientiam visionis. Inter res possibiles atque existentes sunt aliqua, inquit Ludovicus Molina in Concordia quæst. xxiii. art. 4. quæ non sunt quidem absolute futura, essent tamen, si aliqua poneretur conditio, V. G. si Tyrii ac Sidonii Christi virtutes ac signa viderent, ad illum fuissent conversi: Si Deus in tali circumstantia peccantem ad resipiscentiam vocabit, aget is certocertius poenitentiam: quæ dicuntur futura conditionata, & à Deo certissime prævidentur, ut vidimus in cap. ii. prop. 3. Ergo quemadmodum inter possibilia & absolute futura mediant conditionata; ita inter scientiam simplicis intelligentiæ quæ spectat ad possibilia, & scientiam visionis quæ refertur ad res existentes & absolute futuras, mediat scientia conditionatorum, quæ appellatur *scientia media*, Rejiciunt hanc Thomistæ, quod nulla res percipi possit futura, nisi à Deo causæ secundæ prædeterminentur; & prædeterminatione supposita non possint non evenire, & consequenter affirmant quolibet futura à Deo cognosci per scientiam visionis. Quod si quæras, quomodo dari possit decretum efficax ac prædeterminans, & nihilominus res non sint absolute futura; respondent id esse, quoniam circa futura conditionata datur decretum efficax & absolutum ex parte Dei, sed conditionatum ex parte objecti.

2.
Aliorum
Doctorem
opinionem.

Neque aliter sentiunt circa decretum Scotistæ, sed physicam prædeterminationem negant tamen, cum decretum Divinum à præmotione sejungant; nam licet antecedens, extrinsecum voluntati creatæ consent omnino. Nostrates vero, qui gratiam prædeterminantem in hoc statu defendunt, sed necessariam non putant pro statu innocentie, neque prædeterminationem admittunt ad opera naturalia, neque ad *materiale* peccati, in his omnibus scientiam mediam profitentur, eam dumtaxat relegantes ab operibus supernaturalibus status naturæ lapsæ: de quibus postmodum. Quidam arbitrantur futura conditionata, neque ad scientiam visionis pertinere, quod nullum extet de his decretum; neque ad scientiam mediam, quod istiusmodi futura, non sint diversa à rebus possibilibus, nisi rationis nostræ figmento, ac nominatenus: ideoque spectent ad scientiam naturalem, sive simplicis intelligentiæ. Atque hæc sententia & Thomistis, & Molinianis adversatur, & sive prædeterminationem defendas, sive rejicias, à vocabulo scientiæ mediæ semper abhorret: ut præ cæteris præstat

R. P. Berti Theol. Tom. I.

in Promptuario Divinæ Providentiæ vir eximius, & apud Hispanos Augustinenses celeberrimus Joseph à Villanova. Vides, ut arbitror, ab explicatione hujusce vocabuli *scientiæ mediæ* quæstionem istam pendere, ideoque de nomine, non de re disceptari. Sed meam de hac re sententiam excipias.

PROPOSITIO I. Si accipias scientiam mediam pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, sive supernaturalis in statu naturæ innocentis, necnon operum malorum ejusdem status absque ullo prædeterminante decreto, admitto vocabulum *scientiæ mediæ*.

3.
Propositio I.

Assentiuntur huic propositioni quotquot pro diversitate auxiliorum in utroque statu nobiscum pugnant. Et prob. Neque ad opera naturalia, neque ad supernaturalia naturæ integræ, neque ad peccata debet admitti decretum prædeterminans: Ergo hæc non in decreto prædeterminante, sed tantum per scientiam mediam præcognoscuntur.

Probatur:

PROPOSITIO II. Præscientia peccatorum in statu naturæ lapsæ spectat ad scientiam visionis, non ad scientiam, quam vocant mediam.

4.

Propositio II.

Negant id qui nobiscum prædeterminationem ad *materiale* peccati rejiciunt, dicentes, Deus non prædefinit *materiale* peccati, ergo non prævidet peccata in decreto prædeterminante, sed per scientiam mediam. Verum peccata non sunt objectum *scientiæ mediæ*, quoniam non prædefiniuntur, sed alio ex capite. Necessaria est in hoc statu, ut actu vitentur peccata, gratia ab intrinseco efficax: hanc Deus aliquibus elargitur, aliquibus denegat: qui hac gratia privantur, possunt quidem per auxilia indifferenter moventia sese continere à peccatis, sed ob prædominantem cupiditatem, nisi efficaciter adjuventur, libere in scelera prolabuntur. Jam vero sic argumentor: Quod prævidetur à Deo sub conditione inferente, non est objectum *scientiæ mediæ*, sed *scientiæ visionis*. Peccata in statu naturæ lapsæ prævidentur sub conditione inferente: Igitur non sunt objectum *scientiæ mediæ*, sed *scientiæ visionis*. Negant minorem quidam ex nostris, propterea quod denegatio gratiæ efficacis non est conditio inferens peccatum, cum ideo quisquis peccet quia vult, non quia denegatur illi beneficium indebitum: & id quidem verum est; sed ego non constituo conditionem inferentem peccatum in denegatione gratiæ efficacis; sed illam conditionem statuo in ipsa libera

Probatur.

Ff

libera

libera voluntate affecta prædominantibus cupiditatibus, & tali pondere concupiscentiæ, ut sola gratia victrix possit moliri. Quare ita minorem illam sic probabo. Peccati vulnus, vesana cupiditas, perduellis concupiscentia est conditio inferens peccatum, ut sancta delectatio, & gratia victrix est conditio inferens meritum, tametsi voluntas peccat quia vult, & meretur, quia gratia illi dat velle: sed in statu naturæ lapsæ præscientia meritum pertinet ad scientiam *visionis*, quia prævidentur sub conditione gratiæ prædeterminantis: Ergo in statu naturæ lapsæ præscientia peccatorum spectat ad scientiam *visionis*, quoniam in hoc statu peccata prænoscentur sub conditione voluntatis ad malum cupiditate vehementi inclinatæ, & quæ libere quidem, sed certissime labitur, nisi gratia prædeterminante adjuvetur.

5. PROPOSITIO III. Si accipiatur *scientia media* pro cognitione conditionatorum, quæ non sit neque scientia *visionis*, neque scientia *simplicis intelligentiæ*, neque in præsentis statu, neque in statu innocentie locum habet.

Probatur.

Ita Joseph à Villanova disp. 11. dub. x. cap. 4. & dub. xi. cap. v. & dub. xii. & probatur. Futura quæ reipsa non erunt, sed forent aliqua posita conditione, non sunt futura, sed possibilia: Possibilia sunt objectum scientiæ naturalis sive *simplicis intelligentiæ*: Sunt ergo objectum hujus scientiæ etiam futura, quæ non erunt reapse, sed forent hac, aut illa posita conditione. Probatur major: S. P. Augustinus lib. xxvi. contra Faustum cap. 4. ait: *Omnia quæ vere futura sunt sine dubio fient: si autem facta non fuerint, futura non erant.* Atqui futura Conditionata non erunt: Ergo non sunt vere futura, sed possibilia duntaxat.

6. Respondent Adversarii ex hoc evinci tantummodo quod non sint futura absoluta, non autem quod non sint futura conditionata. At sic persisto. Futura conditionata non sunt absolute futura, sed tantum dependenter à conditione: Condicio non est futura, sed tantum possibilis: Ergo futura conditionata non sunt futura, sed possibilia. Rursus aut ponetur illa conditio, aut solummodo potest poni: Ex quo conditio aliqua ponenda sit actu, redditur res futura absolute: Igitur ex eo quod poni quidem possit, sed ponenda non sit; remanet res conditionata tantum possibilis. Item ut transeat res futura de statu possibilitatis ad statum *futuritionis* non sufficit conditio tantum possibilis: quo-

modo enim quod in se *futuritionem* non habet, illam potest rebus tribuere? Tandem in idea ac perceptione rei futura venit id quod aliquando erit: Conditionata aliquando non erunt; ergo nequeunt appellari vere ac proprie futura.

Thomistæ, qui putant cognitionem futurorum conditionatorum spectare ad scientiam *visionis*, respondent eadem evadere futura per decretum absolutum ex parte Dei, conditionatum ex parte objecti. Moliniani contra, qui arbitrantur pertinere ad scientiam *mediam*, inquirunt transire de statu possibilitatis ad statum futurorum per potestatem causæ liberæ, cui præsto sint omnia requisita ad agendum, aut *transitu*, ut quidam dicunt, *objectivo*, sed non reali.

Verum gratis ista dicuntur. Ut enim omittam, quæ contra ejusmodi decreta partim absoluta, partim vero conditionata, quamplures opponunt; nos lib. 2. cap. 3. & hoc rursus, in quo versamur, cap. 1. ostendimus decreta, aliaque Divina attributa dici tantum connotative, & comparate ad objecta: quare nullum decretum ex parte objecti conditionatum potest excogitari, & absolutum ex parte Dei; sed quaecunque decretum, quum sit aliquid connotativum, aut absolutum, aut conditionatum est undequaque. Accedit, esse quidem in Deo decretum causas liberæ, & necessarias juxta singularum conditionem præmovendi; sed liberæ Deus nequaquam prædefinit, nisi in ordine ad opera supernaturalia hujus status, sed præmovet tantum universaliter; quæ præmotio non infert certam rerum *futuritionem*, sed complet tantum, perficitque potentiam, ut pro suo arbitratu prodire valeat in actum.

Minus vera est opinio aliorum, qui docent conditionata fieri in suo genere futura per possibilitatem causæ liberæ; alia opinio, in qua, donec manet indifferens, nihil certo potest comprehendi, nisi facultas agendi vel non agendi. At hæc indifferens potentia non potest esse medium cognoscendi aliquid, præterquam possibilitatem eventuum: in causa quippe indifferenti, nisi aliud addatur medium, nihil, omnium consensione, dignosci potest infallibiliter. Esse autem objectivum in mente Dei nihil addit rebus, nisi cognitionem illarum, prout sunt in se. Quod si dicant aliqui extrahi futura conditionata à statu possibilitatis per decretum quod non est, sed potest esse; facile mihi erit reponere, Decretum quod potest esse, constituere rem

7. Thomistis respondetur.

8.

rem

rem possibilem, sed non futuram: alias enim quæcunque possible essent futura conditionata, cum non repugnet horum prædefinitio ac decretum.

9.
potest negari scientia media ab his, qui rejiciunt prædeterminationem.

Habes ex dictis posse etiam negari scientiam *mediam* ab iis, qui rejiciunt prædeterminationem. Nam futura absoluta possunt à Deo videri in determinatione libera voluntatis, ut diximus cap. vi. & conditionata in comprehensione omnium possibilem: quarum prima est scientia *visionis*, altera *simplicis intelligentiæ*. Neque his repugnant, quæ definivimus cap. ii. Prop. 3. Deum conditionata prævidere ac prænunciare, ut constat exemplis eo loco productis: quandoquidem prævidentur per scientiam naturalem, & prænunciantur sub aliqua conditione; quæ cum sit possibile, & non futura, non extrahit eventum à genere possibilem. Quamquam si absolute conditionata futura prænunciantur, complectitur Divina prædictio, præter eorum possibilitatem, etiam aliquid actu existens. In exemplo sit: Si David commorabitur in urbe Ceila, tradent eum cives. Duo istæ divinæ scientiæ objecta occurrunt, prædictio David, quæ possibile est, & cognoscitur per scientiam *simplicis intelligentiæ*: & pravus Ceilitarum animus, quem Deus comprehendit per scientiam *visionis*.

10.
Difficultas ex SS Scriptura.

At nonnihil ingerit difficultatis genus aliud prædictionum, quæ in sacris literis occurrunt, in quibus aliquid prænunciatur, nec tamen intercedit aliqua conditio inferens, cujus causa possint ad scientiam *visionis* quodammodo pertinere. Dum enim Eliseus Regi Israel ait: *si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem*; ut habetur lib. iv. Regum cap. xiii. 19. liquet conditionem illam percussione terræ esse prorsus indifferentem ac disparatam, & nullatenus cum Syriæ everfione connecti. Quare verificari nequit Divinum effatum, nisi ad scientiam, quam dicunt *mediam*, confugiamus.

Verum etiam in his illa duo, quæ diximus, reperiuntur, id est, parvus affectus Regis Joas spectans ad scientiam *visionis*, & everfio Syrorum pertinens ad *simplicem intelligentiam*. Mandans enim Propheta, ut Joas percuteret jaculo terram, ostendit hoc signo, nequaquam Deum velle extremam Syriæ everfionem, quod Joas non declinans à peccatis Jeroboam parum fideret in virtute Domini Dei sui. Principio enim Eliseus ait: *Sagitta Salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam*, demonstrans Deum quidem ad redigendos in potestatem Israelis Syros omnes futurum fuisse paratum, si Rex Joas nullum malum fecisset in conspectu Domini, fidenterque pugnasset. Mox ostendens diffidentiam torporemque Regis ait: *Percute jaculo terram*. At Joas leviori ictu, tribusque tantum vicibus terram percussit, stetitque illico. Quod si non in eum diffidentia fractusque animus irrepsisset, incessanter, fortiterque jaculando perstitisset ad nutum saltem Prophetæ. Qui propterea contra Regem iratus inquit, quod si pluribus ictibus terram concussisset, subacta omnino, ac everfa esset Regio Syrorum. Itaque Elisæi prædictio parabola quædam fuit, qua Regis Joas redargueret inertiam, pravumque animi tempe amentum: quod proinde fuit scientiæ *visionis* objectum.

11.
Solvitur.

Præterea, ut ad principia sua revertatur disputatio, si futuram Syriæ everfionem ad naturalem rerum ordinem dixeris pertinere, fateor absque decreto ullo prædeterminante fuisse præcognitam, ut priori propositione dictum est. Si vero reponenda sit inter futura ordinis supernaturalis, quod Syria bello vastata foret in Dei cultum ac religionem captivanda; necesse erat, ut Regis Joas prædefinirentur actiones, eique gratia victrix daretur, qualem forte habuisset, nisi se omnibus peccatis Jeroboam coinquinasset; ut dicam proximo cap. xii. de habitatoribus Corozain & Bethsaidæ.

12.
Ultimata resolutio.

